Disquisitio medica inauguralis, de glandularum morbis ... / [James Walker].

Contributors

Walker, James.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : J. Cochran, 1743.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/gu3pk5vr

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Mr Arch. Hamilton
14

DISQUISITIO MEDICA

INAUGURALIS,

De Glandularum Morbis:

QUAM,

Annuente ſummo Numine,

Ex auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI WISHART, S. T. D.

Academiæ EDINBURGENÆ *Præfecti;*

NEC NON,

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *conſenſu, & nobiliſſimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in Medicina honoribus ac privilegiis ritè & legitimè conſequendis,

Eruditorum examini ſubjicit

JACOBUS WALKER *Scoto-Britannus, A. & R.*

Ad diem 27. Julii, horâ 5. pomeridianâ, loco ſolito.

EDINBURGI:
Apud J. COCHRAN & SOCIOS. MDCCXLIII.

ILLUSTRI NOBILIQUE VIRO,

ROBERTO GORDON

De GORDONSTOUN,

EQUITI BARONETTO,

Stemmatis eximii Nobilitate,
Animi dotibus,
Morumque comitate,

SPECTABILI,

Hoc, Medicinæ rationi conſentaneæ in Glandula morbida faciendæ, ſpecimen *abruptum*,

In perpetuæ gratitudinis &
obſervantiæ monumentum,

D. D. D.

JACOBUS WALKER.

Figuræ numericæ 1. 2. 3. *&c. ad Illuſtrationem, Deſcriptionem vel Demonſtrationem, in Theoremate* I. II. III. *&c. citato, ſpectant.*

Omne ſupervacuum pleno de pectore manat.

Diſquiſitio Medica,

De Glandularum Morbis.

INTER ægritudines innumeras quibus genus humanum pœnas luit, nullæ fortè atrociores exſtant quàm quæ ex *glandularum* morbis proveniunt: horum enim plerique *chronici* ſunt, nec niſi poſt diuturnos languores vitam adimunt; atque nonnulli, partes vivas paulatim exedendo, ſævitiem exercent adeò feram, ut miſeri ægri, mœrore longo detriti, vitæque pertæſi, *mortem* tandem, tanquam *ſolamen* unicum, exoptent.

Licet tamen *mala* hæc adeò plerumque Medicorum conatus eludant, ut *artis opprobria* dicantur; haud perſuaſum habeo quòd omnino *immedicabilia* ſint; quin potiùs, quòd medendi methodo *aptiori* tandem cedent, vel *caſu* vel *conſilio* inveniendæ, quum vigeat adeò Medicorum ſolertia & ſagacitas, atque philoſophia *caſta* fidis obſervationibus innixa. Sua equidem

equidem arcana, hodie ſicut olim, jactant Empirici, &, lucri improbi gratiâ, credulum vulgus fallunt. Aut ſi horum aliquis remedium efficax compertum unquam habuerit, quod tamen experimentis haud conſtitit, is verò, omni humanitate & miſericordiâ vacuus, id ipſum, nefario conſilio, in ſuum emolumentum apud ſe *arcanum* retinuit. Non ita viri probi & ingenui, qui, remediis novis & *efficacioribus* detegendis intenti, civium ſaluti generiſque humani commodo ſtudent. Ab his itaque exſpectare licet, quòd non, *ſi malè nunc, & olim ſic erit*; namque —*Nullum Numen abeſt ſi ſit Prudentia*; multaque nondum experta manent remedia.

Ego interim, ut *Academiæ inclytæ* conſuetudini obtemperem, Theoremata quædam, ad morbos hoſce ſpectantia, proponam. Utinam qui doctrinâ pleniore & experientiâ valent, penſam accuratiùs excutiendam ſuſceperint: hi ſaltem magna audenti mihi ignoſcent.

Ut autem quæ de glandularum morbis (in primis de *Scirrho*) traditurus ſum, magis innoteſcant, ſequentia ex Phyſiologicis, tanquam *data*, repetam.

I. Sanguinis maſſa eſt fluidum heterogeneum, *partibus*, mole, colore & indole *diverſiſſimis* compoſitum; quas inter globuli rubri elementa cætera magnitudine exſuperant.

II. *Secretio* Medicis dicta, eſt ſeparatio partium tenuiorum à craſſioribus; quæ fit quando arteria aliqua parva *ramum lateralem* emittit, cujus orificium adeò anguſtum eſt, ut *majores* ſanguinis partes omnes excludat, *tenuiores* ſolummodo admittat. Tunc enim, per hunc *ramuſculum*, derivabitur humor, ab ipſo ſanguine, quoad colorem, conſiſtentiam & indolem, *diverſus*.

III. Organi ſecretorii fabricam (maxima ex parte) conſtituit arteria talis (2.) multiplex, quæ poſt anaſtomoſes, communicationes atque convolutiones mirè varias, infinitas, in venulam

nulam multiplicem tandem definit: tota congeries formam plerumque ſuſcipit ſubglobularem.

IV. Cujus canalis (3.) latera conſtituunt *membranæ* ex vaſculis minoribus, liquidum ferentibus, conſtructæ: & ſic deinceps.

V. Canalis glanduloſæ cujuſque convolutiones (3.) pinguedo plerumque multa involvit; ſuſtinent, connectunt & inveſtiunt membranæ vaſculis plurimis ditatæ, *inflammationis* ſedes creberrimæ.

VI. Canales ſecernentes (3.), ultimis ſuis finibus, ſæpe pertundunt *ſaccum* quendam, in cujus cavum, humorem nuper ſecretum eructant; atque talis ſacculus *ampulla*, ſeu *Folliculus*, Anatomicis dici conſuevit.

VII. Folliculus iſte (6.), vel patulo hiat orificio, vel in tubulum definit, qui *excretorius* ſeu *emiſſarius* ductus audit, perque quem congeſtus in folliculo humor, vel in aëra apertum, vel in vas aliud majus, vel in cavum quoddam, expellitur.

VIII. Fabricam hanc (3. ad 8.) ingrediuntur vaſa, præter dicta (3.), ſanguifera, lymphatica, aliaque non pauca, nervoſa plurima; quæ ſingula, vel contenta ſua ibi deponunt, vel liquidum inde deferunt, aut per glandulæ membranas (4. 5.) diſtribuuntur. Quæ vaſa (ut à canalibus glanduloſis & eorundem vaſis diſtinguantur) *acceſſoria* appellare liceat.

IX. Fabrica qualis (3. ad 9.), *Glandula* Anatomicis nominatur, ſimplex aut conglobata.

X. In glandula (9.) ſecernitur (2.), à ſuccis variis (1.) eò delatis, humor aliquis ſanguine *tenuior*, in folliculum (6.) deferendus, cumque admiſtis liquoribus ex acceſſoriis (8.), exinde per emiſſarium (7.) tranſmittendus, extra corpus ejiciendus, aut ad *munera*, variis in corporis locis varia, fungenda.

XI. Quum

XI. Quum ſecretio (2. 10.) ab arteriolis minimis ſemper fiat, atque hæ, circa glandulas, per tot inoſculationes, ambages, decurſumque tortuoſum ſemper diſtribuantur (3. 8.); quòd ſucci (10.) motus ſit, hìc loci, longè *tardiſſimus*, patet.

XII. Humores ſic ſecreti (2. 10.), licet ab *eodem ſanguine* (1.) deriventur omnes, hujuſque *indolem*, ſive ſanam ſive morboſam (cæteris paribus) ſequantur; uſque adeò tamen inter ſe differunt, ut nullus perfectè *ſimplex* dici poſſit. Namque,

XIII. Dantur in glandula (9.) (ut ubique ferè corporis) vaſcula *venoſa* (8.), quæ ſuccum tenuiorem, ad oſcula ſua patula appellentem, *abſorbent*, ſanguinique venoſo commiſcendum deferunt, aut ad uſus varios devehunt. Deinde,

XIV. Secretum (10.), *remoram* in glandula agens (11.), tenuiora exhalans (13.), in folliculo (6.), quàm in ſecernentibus (3.), *ſpiſſius* evadit.

XV. Glandulæ ſimplices (9.) plures, membranâ communi inveſtitæ, glandula *conglomerata* nominantur; quarum emiſſaria deſinunt, vel conjuncta in excretorium unicum commune, amplum, vel in plura minora.

XVI. Succus ſecretus in glandulis ſebaceis dictis, oleoſis, mucoſis, lymphaticis, &c. inſervit ſolidis humectandis, emolliendis, lubricandis, defendendis; humoribus quibus affunditur diluendis, attemperandis, &c. in labiis, ore, faucibus, gula, toto tractu inteſtinali, in meſenterio, ciſterna lumbari, ductu chylifero, vena jugulari, utero, glande penis, omento, oculis, naribus, ſinu frontali, aure, tota cute & cuticula, in vaſorum tunicis, offium articulationibus, &c. Saliva præterea pulchrè diluit, reſolvit, cibique digeſtionem in ventriculo promovet; dum bilis utraque detergit, attenuat, ſtimulat; efficaciùs tamen quæ cyſtica dicitur: quibus adjumentis, pulchrè elaboratur & propellitur *chylus* probus, *fæceſque* devehuntur inertes. *Teſtes* & *ovaria* ſuccis genitalibus

bus præparandis inſerviunt, lacti *mammæ*, atque liquido ſubtiliſſimo *nervoſo* elaborando ἐγκέφαλον. Glandularum aliæ, quæ vel *inutilia*, aut ex abundanti *noxia* forent, ſecernunt, & extra corpus ejiciunt.

XVII. An verò mamma, hepar, teſtis, parotis, *folliculis* (6.), juxta ingenioſiſſimi *Malpighii* ſententiam, inſtruantur; ſive non, ut promulgavit celeberrimus *Ruyſchius*: quum dicta hucuſque de glandula in genere, de his itidem, quoad cætera, prædicari poſſint; atque dicenda poſthac de glandula, *his* æquè ac glandulis, nihilominus conveniant; parum refert, hìc loci, *diſcrimen*.

XVIII. Datur via, qua veſicæ *felleæ* contenta (ſi modò occludatur in inteſtina iter) ſanguini hepatico reduci admiſta, cum eodem in venam cavam deferantur.

XIX. Vaſis ipſius contractilis in humorem contentum actio, ad ejuſdem *fluiditatem*, mobilitatem, neceſſaria.

XX. In ætate *puerili*, ſolidorum habitudo omnimodè *laxa*, debilior exiſtit.

XXI. Fluida impulſa, quò liberius eſt iter & reſiſtentia minor, eò in primis, cæteris paribus, curſum ſuum intendunt.

XXII. Vaſculum ex minoribus, ſi diu obſtruatur, nec inflammetur, abit, cum humore ſuo contento, in chordam imperviam, vaſculo rigidiorem, fibram *ſolidam* majorem.

XXIII. In ætate *provectiore*, ſenſim rigeſcunt vaſcula minora (22.); ergo & majora, ex minoribus conſtructa, rigida futura conſtat.

Ex Pathologicis demonſtrantur ſequentia.

XXIV. Quicquid canalis tranſmiſſuri *capacitatem* infra molis tranſituræ *magnitudinem* minuit, aut *molem* tranſituram ſupra canalis tranſmiſſuri *capacitatem* auget; id facit, ut canalis

hic fluidum iſtud tranſmittere nequeat, canalique huic *obſtructionem* infert.

XXV. Canalis glanduloſæ capacitatem (ſicut in aliis) minuunt *plethora* in vaſis vicinis, *compreſſio* quævis, (ut à tumore vicino, *ligatura) conſtringentia.* Cutaneorum oſcula conſtringit aër gelidus.

XXVI. Succi glandulares plerique tales ſunt, qui, ſtagnando, tenuiora exhalando (13.), *inſpiſſari*, inque *coagulum* nonnulli, ab admiſtis *quibuſdam*, agi poſſint.

XXVII. Hanc eorum craſſitiem & inſpiſſationem morboſam (26.) augent labes hereditaria, victus auſterus, crudus, crapula, vaſorum actio debilis (19.); quò ſpectant ætas puerilis (20.), plethora (25. 26.), mœſtitia, quies nimia, aër humidus, emollientia (19.).

XXVIII. Succi autem *ſtagnantis* particulæ ſibi invicem propiùs accedentes, fortiùs ſe mutuò attrahunt, inque maſſulas *majores*, canalem continentem tranſire nequeuntes, coëunt, eundem obturant (24.).

XXIX. Tenuioris ſeparati (28.) exhalationem (13.) promovet *febris*, quæ eſt humorum velocitas aucta.

XXX. Coagulum nonnullis inducunt auſtera *fortiora*, ſpiritus vini *fortis*, &c.

XXXI. Glandula ergo *obſtructioni* (24. ad 31.) maximè obnoxia. Conferantur 3. 8. 11. ad 15. 19. 20. 22. ad 31.

XXXII. Humor in glandula ad conſiſtentiam muci, gelatinæ, mellis, ſevi, glutinis, calli, gypſi, cretæ, ſabuli, calculi, *inſpiſſari* poteſt; pro vario humoris ingenio, quaſque ſubit conditionibus 14. 22. 24. ad 32.

XXXIII. Siquidem canalis diſtenſilis obſtructi (24.) *reſiſtentiam* ſuperet liquidi moventis impulſi *momentum*; fit *tumor*, in ſanguiferis ruber, in ſeroſis flaveſcens, aliis œdematoſus, vicina comprimens, qui varia, à loco & conditionibus (32.), nomina ſortitur.

XXXIV. Tu-

XXXIV. Tumor *pituitoſus* in glandula lentiùs incrementum capit (19. 27.), ſeriùs minúſque indureſcit, niſi adſint cauſæ 29. 30.

XXXV. Quò *major* exiſtit cordi, in ſanguine expellendo, *reſiſtentia* (24. 25. 26. 33.), in parte corporis hac; eò ſolito validiùs in aliam, ubi reſiſtentia *minor*, propellitur ſanguis.

XXXVI. Secretione ergo (2.) & excretione (10.) impeditis aut diminutis (24. ad 36.) in parte corporis *hac*, augeatur neceſſe eſt (cæteris paribus) ſecretio, in altera *non* obſtructa; & vice versâ (35.).

XXXVII. Si modò impediatur ſecretio aut ſecreti glandularis *excretio*, deficit, in ſyſtematis animalis œconomia, ſucci, qui ex iſta glandula debetur, *munus* proprium (16.), ad vitam vel ſanitatem neceſſarium: e. g.

1. Ex *defectu* ſalivæ, muci, &c. (16.), fiunt in ore, faucibus, gula, &c. ſiccitas, rigiditas, deglutitio moleſta, difficilis; in ventriculo concoctio impedita, cruditas, inflammatio, & quæ ſequuntur innumera.

2. *Deficiente* ſucco pancreatico diluente (16.), fit alvus tarda, inteſtini ſiccitas, chylus craſſus, ἀτροφία.

3. Si *deficiat* bilis attenuans, detergens, ſtimulans (16.); fit chylus ſpiſſus, tenax, iners, heterogeneus; inteſtinorum motus languidus evadit, alvus difficilis, &c. muco tenaci obducitur totius tubi inteſtinalis ſuperficies.

4. *Defectum* liquidi glandularis humectantis, lubricantis, defendentis (16.), ſequuntur in artubus, palpebris, oculo, &c. frictio dolorifica, inflammatio; in ſenſuum organis, ſenſus diminutus, abolitus; in pulmone, aſthma ſiccum, vomica; in cute, tranſpiratio cohibita, porrigo, aliaque graviſſima: ne quid dicam de ſpiritu cerebri, de liquido genitali, de oculi humoribus, &c.

XXXVIII. Se-

XXXVIII. Secretum retentum, mala vicinis infert plurima; quorum exemplo ſint ſequentia:

1. Si *retineatur* ſecretum circa collum, maxillas, &c. fiunt tumor (33.), ſecretio in liberioribus, tonſillis ſciz. uvula, larynge, pharynge, &c. *aucta* (36.); depluit humor ſolito copioſior (36.), tenuior (1. 14.), in tracheam, ſub nomine *catarrhi*, cui renitens pulmo crebrâ ſe exagitat *tuſſe*, cujus effectus incauti luunt, ante alios, Britanni; hinc quoque raucedo, angina, odontalgia, &c. Liquidi mucoſi *copia* in ventriculum delati, *concoctionem* vario modo depravat, appetitum proſternit.

2. Si obſtruatur *felli* via in ſuam veſicam, aut exinde in duodenum, in venam *cavam* divertitur; bilis ſanguini in corde admiſta, eundem colore flavo ubique tingit, atque acredine biliosâ imbuit: fit Icterus. De quibus hæc dixiſſe viſum eſt, quoniam morbum, in glandula *ipſa* exiſtentem, quandoque indicant.

XXXIX. Vaſcula inflammata, humoribus diſtenta, *ictibus* arterioſis, crebris, validis, ad partes quibus hæſerint obſtructiones *diſrupta*, ſucciſque effuſis macerata; ſi, cum ſuccis ſuis, in *pus* blandum, homogeneum, albidum, defluxerint, pus idipſum partes morbidas inter & ſanas *ſeparat*. Sic ſæpe ſibi medetur Natura provida.

XL. Sin verò humores effuſi *acres* fuerint, aut aliquomodo tales, qui, cum canalibus diſruptis, in pus abire (39.) nequiverint; cruor, & pleraque fluida cætera humana, extravaſata, fovente *calore*, in putridum, *acre*, corroſivum, diffluunt; quodque citiùs fit, ſi admittatur *aër*.

XLI. Oleoſum *pingue*, à calore magis intenſo, conſtanti, eliquatum, fit *rancidum*, acre teterrimum, moris omnium peſſimi, quòd aquoſa diluentia *reſpuat*, pauciſque obtundi queat.

XLII. Hu-

XLII. Humor verò *lymphaticus* ac mucoſus, diu abſque concepta putredine, ſi modò prohibeatur *aëri* acceſſus, conſervari poteſt.

XLIII. Siquidem diu occludatur pus illud ipſum *blandum* (39.); ſucci blandi, diluentes, calore foti, ipſi *acredinem* concipiunt; fibræ quoque membranaceæ vaſculorum, ulteriùs macerando, ſolvuntur; diffluunt omnia ſimul in putridum, acre, *ſaniem.*

XLIV. In *hepate*, rarò fit pus blandum, ob fluidi bilioſi *acredinem* (40.).

XLV. Inflammatio (niſi reſolvatur) promptiùs in ſuppurationem (39.), in corpore *juniore* laxo; in gangrænam verò in rigido *ſenili*, abitura eſt.

XLVI. Quò magis intenditur *febris*, eò citiùs terminabitur *inflammatio* (39.).

XLVII. Putridum abſorptum (40. 41. 43. 13.) *febriculam* ſemper excitat lentam; dyſenteriam ſæpe, & tabem inducit.

XLVIII. Sanguini, ex vaſis hepaticis ruptis, atque puri aut ſaniei, ex ulcere hepatico, ad veſicam felleam appellentibus (niſi obturatus fuerit ductus abhinc in duodenum) in *inteſtina* patet iter: cauſarum torminum ventris, diarrhææ purulentæ, bilioſæ, cruentæ, fœtidiſſimæ, *trames* creberrimus.

XLIX. Si obſtructa fuerint vaſcula glandulæ *ſecernentia* (3.), extra circulationis leges ponuntur *folliculi* (6.) contenta.

L. Si in *certis* quibuſdam glandulis hæſerit corpuſculum quodcunque ibidem *inſolubile*, humor accedens cruſtam corpuſculo undique inducit tenacem; moles, incrementum (*lamellatim* ut plurimùm) aſſiduò capiens, augetur, indolis gypſeæ, cretaceæ, ſabuloſæ, calculoſæ, in hepate, glandulis maxillaribus, ſublingualibus, renalibus, &c.

LI. Glandulæ infarctæ contenta, indies magis indurantur (13. 22.); præcipuè ſi adſint cauſæ 29. 30.

LII. Concretio ergo glanduloſa, quò *inveteratior*, eò (cæteris paribus) minùs reſolvendo idonea (51.).

LIII. Cauſa obſtruens, inſpiſſans, inflammationem excitans (24. ad 39. 50.), rodens (40. 41. 43. ad 49.), ſi *toti* ſanguinis maſſæ inhæſerit, fruſtra *hìc* aut *illic* corrigitur aut tollitur, niſi idem *ubique* factum fuerit (12.).

LIV. Si fibrillam nerveam, ſuis *munitam* tunicis ritè humectatis, leniter vellicet particula *minùs* acris; exoritur *titillationis* idea.

LV. Acre, nervum vellicando, rodendo, *doloris* ideam atque *convulſionem* excitare valet.

LVI. Quò plures corroduntur nervi, quóque plures & acriores fuerint particulæ vellicantes, eò dolor *atrocior*.

LVII. In *glandula* ergo (quum inflammationi obnoxia ſit, pinguedine, ut plurimùm, abundet, nerviſque plurimis inſtruatur) excitari poteſt dolor *atrociſſimus*. Conferantur 5. 31. 39. ad 47. 55. 56.

LVIII. Si in corpore laxo, humido, pituitoſo (19. 20. 27.), fiat ſuppuratio (39.) & ulcus; vaſcula rupta, laxa, nec cute nec retinaculis jam cohibita, ſucco lento abundanti diſtenduntur in ſubſtantiam ſpongioſam, carnoſam, luxurie peccantem, *Fungus* dictam.

LIX. Glandula in *cyſtiden* capacem diſtenta, humore chyloſo, ſeroſo, lymphatico adimpletam, ſæpius invenitur; Ὑδατὶς appellari ſolet; locum, in meſenterio in primis, in cerebro, inque ſeroſis & lymphaticis alibi, obtinet: haud facilè, *ante mortem*, ab aliis hydropis ſpeciebus dignoſcenda. An hydatis *interna* (cujus cyſtis eſt glandulæ folliculus diſtentus) extra chirurgiæ opem ac medicaminum vires penitùs locatur?

LX. Glandulæ morbidæ folliculum diſtentum, non rarò occupat materies gelatinoſa, ſeu conſiſtentiæ melleæ, ſebaceæ, granulata quandoque; quæ (59. 60.) à cauſis 14. 24. ad 39. enata

enata exſtat: quales tumores, atheroma, meliceris, ſteatoma, &c. nomina ſortiti; in corpore externo, ſuppurando, aperiendo, erodendo, detergendo denique, ſecundum artem chirurgicam tractati, curantur.

LXI. Glandula exſecta, maſſæ tenacis, compactæ, duræ (22. 30. 32. 33. 42. 51.), fungoſæ (58.), purulentæ (39), putridæ (40. 43.), ſphacelatæ, ſpeciem quandoque gerit.

LXII. Si modò in corpore euchymo, non rigido, à cauſa *externa*, in glandulæ parte cuti vicina, excitetur *inflammatio*, cum calore, tumore, rubedine atque pulſatione ſubitis, in *ſuppurationem* (39.) ſæpiùs abit.

A cauſa externa cognita, corporis habitu, mali duratione, dolore non profundo, ab aliis dignoſcitur.

LXIII. Glandula ſic ſuppurata (62.) ſibi commiſſa, in ulcus vergit, moris reverà non boni, ob ſinulos multiplices, ubicunque ſciz. deprædatæ fuerint membranulæ intervaſculares (5.); pus inſuper inter plicas retentum, in *acre* abit (40. 41.), quod eroſionem, ſuppurationem, vicinis inducit. Tumorem talem exulceratum, ſub nomine *Cancri*, Chirurgi quidam, felici cum ſucceſſu, extirpant.

LXIV. Si, *ineunte* inflammatione, fiat ſanguinis miſſio larga, purgatioque fortis inſtituatur antiphlogiſtica, cum regimine atque *topicis* congruentibus; inflammationem reſolutam iri, veroſimile eſt. Huc ſpectat cataplaſma è farina *fabarum*, ſeu pane triticeo, ſemine lini, cortice radicis petroſelini, & ſimilibus, in lacte ſ. a. decoctis, cum addito croco Anglicano, ſæpiùs renovandum; cataplaſma enim, humido exhauſto, aridum nocet: nec tumor *aëri* exponendus (40. 42.) Potum præbeat ſerum lactis cum infuſo tamarindo, pitiſſandum ad ægri lubitum; cavendo ſummopere ab adſtringentibus, frictione, compreſſione, & irritantibus, ſtimulantibus, quibuſcunque 25. 29.

LXV. Sin

LXV. Sin autem perfecta fuerit ſuppuratio (63.), ex ſuis ſignis cognoſcenda; abſceſſus cautè, (ne ſciz. diſſecetur, ſi modò integra conſervari poſſit, glandula) per totam longitudinem, à ſummo ad imum, aperiendus. Ulceri adhibeatur cataplaſma (64.), uſquedum tumor dolorque effugerint; interque cataplaſma renovandum, balſamo Arcæi *tepido* illinatur; ſive ſordibus ſcateat, balſamo traumatico Edinenſi foveatur; ſummâque curâ, ope plumaceolæ *molliſſimæ*, aquâ ſaponatâ imbutæ, leniſſimè abſtergeatur pus: cæterùm ut 64.

LXVI. Ubi icterus prægreſſus (38), febricula lenta (47), vomitus purulenti, jecoris regio tumida, indurata, ſedes purulentæ, ichoroſæ, *ulcus hepaticum* denotare viſa ſunt; (AB) ſymptomata, poſt *ſaponis* Veneti uſum diuturnum, auctiorem, ceſſârunt; convaluitque æger.

LXVII. Humor in glandula, ſi ex cauſis 24. ad 32. adeò *inſpiſſetur* ut penitùs obturentur canales, nec adſint abſceſſûs (39.), gangrænæ (45. 46.), nec concretionis calculoſæ, &c. cauſæ (50.); fiunt omnia quæ ex ſecretione excretioneque in iſta glandula *turbatis* oriunda videntur (37. 38.). Tumor inſuper (33.), vaſculorumque *concretio* (22.); in maſſam *duram*, *calloſam* (13. 24. ad 34. 62.), abit cum ſuis ſuccis (10.) glandula (9.), in conglomeratis (15.) tangenti granuloſam, *cuti* reliquæ *concolorem* (33.), indies indurandam (51.), minùs minúſque *dolentem*, ob nervos minùs affectos, compreſſioni diſtenſionique paulatim aſſuetos.

LXVIII. Vaſcula tamen ſanguifera quædam (8.) in glandula ſic indurata (67), molis ambientis compreſſioni diu renitentia, liquidum ſuum transfundere non deſinunt.

LXIX. Tumor glanduloſus, cuti *concolor*, *durus*, *indolens* (67.), nomine generali Σκίρρωμα & Σκίρρος venit, à Σκιρρόω, *induro*; locum habet in omni glandula, præcipuè in nare, ore, faucibus, uvula, mamma, axillis, inguine, hepate, pancreate, meſenterio, utero, teſticulo, parotide & vicinis.

LXX. Ef-

LXX. Efficit omnia quæ memorantur 67. 68. aliaque plurima quæ ex partis læſæ *natura*, *officio* ac *vicinio*, ex phyſiologicis deducenda manent; in teſticulis ac ovariis, *ſterilitatem*; in uteri vagina, partum *difficilem*; pondus in utero moleſtum, quod *graviditatis* veriſimilitudine, imprudentes miſerè fallit. Morbi quidem *chronici plerique*, vel *cauſam*, vel *comitem*, vel *effectum*, agnoſcunt ſcirrhum, cognitu, reverà, in corporis *interioribus* quandoque *difficillimum*, qui tamen Medicum prudentem, in phyſiologia peritum, non *ſemper* latet.

LXXI. Scirrhus, vaſa vicina nondum *comprimens*, nec *inflammatus*, cui *ſitus* commodus, nec *frictioni* obnoxius, in corpore *euchymo*, diu adeſſe poteſt abſque incommodo, extra dicta 70.

LXXII. Vaſa tamen *arterioſa* (68.), ſcirrho *vetuſto*, compacto, *duro*, inſerta, nondum concreta (22.) nec penitùs compreſſa; parietes per quos tranſeunt duros, ſcabros, ſcrupeos, ictibus crebris, validiſque ferientia, ipſa *atteri*, contuſionem, *inflammationem* ſubire, hancque ſcirrho ipſo ambienti *communicare* veroſimile eſt; præcipuè ſi mole aut velocitate *auctâ* moveatur ſanguis: à quibus cavere nequit mortalium cautiſſimus:

——————————— *Irritaturque* retenta,
Et creſcit rabies, remoràmina*que ipſa nocebunt.*

LXXIII. Quare (72.), *inflammatio* aut *acrimonia* in ſcirrho compacto enata, *haud* reſolvenda aut compeſcenda videtur; vaſcula inflammata in gangrænam, vel (quod ſæpiùs fit) in *ſuppurationem* aguntur. Purulentum autem in ſpatiolis ſinuoſis retentum, in *ſaniem* defluit (43.), quæ ab admiſta pinguedine (5.) deterior (41.), vicina ſenſim lentéque corrodit; vaſa ad glandulam tendentia, atque vicina, in aneuriſ-

ma & varices compreſſa (33.) abeunt, coloris rubri, flavi, fuſci, liveſcentis, *cancri chelas* referentia.

Scirrhus abhinc, ex ſimilitudine cancri animantis, *Cancer*, καρκῖνος & Καρκίνωμα nominatur.

LXXIV. Augetur Cancri (73.) moles dura, ſcabra, cum eminente apice, ac *pruritu* (54.) in dolorem degeneraturo: vaſcula acri ſanioſo (43.) macerata, eroſa, rumpuntur; intùs effunduntur humores, nec acre diluere valent, acres ipſi fiunt (40. 43.), qui copioſiores, acriores in-dies evadentes, nervos rodendo, vellicando, dolorem urentem, pungentem, atrocem (57.), excitant.

LXXV. Scirrhum tamen ipſum non citò depaſcitur acre (42.), qui ſaniei fons perpetuus exiſtit, durus, præruptus, doloris acerrimi hoſpitium; vaſa plura liquido vitali pervia, nervoſque vivos, in maſſæ corruptæ, putridæ gremio, hìc illic comprehendens. Liveſcit ſenſim cutis *cancri* corpus tegens, cuticula digito abradi poteſt; vaſa (73.) ſanguine ſtagnante turgida, *chelas* referentia, fiunt *livida*, nigricant.

Sin autem vaſa majora ſanguifera eroſa, diſrupta, ſanguinem effuderint; fit ſaccus *cruore*, in immenſum quandoque, diſtentus, aneuriſma ſpurium referens; qui Cancri ſanguinei ſeu *cruenti* quibuſdam nomen gerit.

Cancer hucuſque denominatur *occultus*.

LXXVI. Poſt exeſas membranas glandulam involventes (5.), deglubitur tandem *cutis*, tranſudat ſanies tenuis, nigricans quandoque, fœtidiſſima, vicina corrodens, ipſa *lintea* appoſita, *aquæ ſtygiæ* inſtar, depaſcens: fit Cancer *apertus* & *exulceratus*; inflammantur ſcirrhi *margines*, fiunt labia *retorrida*, horrenda: intenditur dolor lancinans, urens, intolerabilis; *reſorbetur* ſanies, maſſam ſanguineam labe tetrâ, viroſâ, ubique vitiatura; fiunt exinde cancri *occulti* (13. 67. ad 76.) ubique ferè, (in aperti vicinio præcipuè) febris lenta (47.), convulſio (55.), hæmorrhagiæ ſæpe lethales, ca-

co-

cochymia (13. 53.), phthiſis (47. 53.), miſeroque detrito, pereſo, *mors*.

Hæmorrhagiam uterinam lentam, in *vetula*, quaſi menſtrua regreſſa, admirantur *anûis* familiares.

LXXVII. Temporis ſpatium admodum varium, in *decurſu* ſuo abſolvendo, occupat cancer; nunc menſes paucos, per annos quandoque multos miſerum deterit: de *quo* tamen, ex ægri ætate, habitudine, &c. atque mali ingenio, & obſervatione præteritorum, aliquid conjecturare valet experientiâ doctus.

LXXVIII. Glandula inflammata, ulcerata, ut in 62. 63. diſcutientibus calidioribus, acribus, ſtimulantibus, irritantibus, adſtringentibus, comprimentibus, frictione validâ, puri viam occludentibus, tractata, in cancrum (72. ad 78.) degenerat.

LXXIX. Mammam lacte cohibito turgidam, igni *vehementiori* (ut mulieribus quibuſdam mos eſt) expoſitam, ſpirituque vini *forti* (ob doloris lenimen præſentaneum) embrocatam; à lacte coagulato (30.), tenuiora exhalante (29.), ſcirrhoſam atque *cancroſam* factam iri, veroſimillimum eſt.

LXXX. Licet *cancer*, ut plurimùm, ſit ſcirrhus inflammatus, irritatus, &c. cancrum tamen, abſque ſcirrho prægreſſo, in glandula, necnon ulcus, *cancrum* omni dote referens, ubi nulla exiſtit glandula conſpicua, enaſci, veriſſimum eſt: utì in papillis nervoſis linguæ, &c.

LXXXI. Si diatheſin lentam, *pituitoſam*, crudam (19. 20. 27.), adjunctam habeat indoles *ſcirrhoſa* (69.); fit, cum ventris *torminibus* ſingularibus, tumor glanduloſus, incrementum lentiùs capiens, minùs plerumque indureſcens (34.), glaber, haud acutè dolens, paulatim rubeſcens, uvam *matureſcentem* quodammodo referens, qui ad frictionem dolet, magis rubet tumetque: Arabicè *Scrofula*, Græcis χοιράς, (quaſi morbus porcinus) ſtruma quoque (à στρῶμα, *ſuppletis ſubgutturi*) denominatur, hucuſque *occulta*.

LXXXII. Lo-

LXXXII. Locum habet Struma (81.) in glandulis præcipuè, circa *collum*, axillas, inguina; dein per muſculorum tendinumque membranas divagatur: articulos atque oſſa occupat tumor indolis ejuſmodi, perque *totum* corporis habitum ſerpit.

LXXXIII. Scrofuloſi cadaver apertum, viſcera interna, *meſenterium* in primis, *ſtrumoſa* exhibuit: quod obſervatum, phænomenis, in *ſtrumoſo*, plurimis explicandis inſervit.

LXXXIV. Tormina (81.), remediis frigefacientibus, *aperientibus*, blandis, *parum* alleviantur; calefacientibus *validis* exaſperantur.

LXXXV. Si accedat Scrofulæ (81. ad 85.) *inflammatio*, in *ſuppurationem*, cum cutis rubedine, anxietate, atque dolore pungente aucto, tendit: *lentè* tamen, ut plurimùm (34.), progreditur ſuppuratio; fitque tandem abſceſſus, in latum porrectus, qui ex orificiis plurimis, ſæpe ſinuoſis, (cute diſruptâ) materiam purulentam, mucoſam, *ſeroſam*, heterogeneam, cum admiſtis nonnunquam granulis ex albo-flaveſcentibus (27. 39. 42. 60.) evomit; fit ſtruma *exulcerata*, fungoſa (58.), materiam tandem *ſanioſam*, mali quidem moris, fundens, in *cancri* ſpeciem degeneratura.

Scrofula itidem, abſque *præcedente* ſcirrho, non rarò enaſcitur, atque ubi *nulla* exiſtit glandula inſignis.

Talis eſt ſcirrhi in genere decurſus.

Scirrhi curationem excogitandam ſuadet, tum glandulæ *functio*, ſi non ſemper & ubique neceſſaria, attamen *utilis* (16.) & nonnunquam neceſſaria; tum morbi, alibi corporis, à dictis 37. 38. & ſimilibus, atque à ſcirrho *præſente* oriundi (70.); deinde *cancri* metus 72. 73.

Requiſitis medicis ſatisfit ſi, 1. ſcirrhi *futuri* cauſæ tollantur; 2. *nati* progreſſus ſiſtatur, ipſe *reſolvatur*, vel, ſi reſolvi nequeat, *tollatur*; 3. *leniantur* ſymptomata. De intentionibus

bus 2da & 3tia hìc agendum; de ſcirrho *cancroſo* deinde ſeorſùm.

LXXXVI. Scirrhus (69.) in corpore juniore, laxiore, euchymo, externus, à cauſa externa recèns enatus, minùs induratus, vicinis nondum adhærens, indolens, qui ab obſtructis vaſis humorem adferentibus ortum primariò duxerit, pauciſque ac levioribus ſtipatur ſymptomatibus, reſolvendo magis idoneus: quóque harum conditionum *plures* adſint, eò reſolutionis ſpes *melior*.

LXXXVII. Scirrhus verò internus (cui ſciz. etſi cognitus fuerit, neque manui neque topicis conceditur acceſſus) à cauſa interna (53.) in corpore ſenili, rigido (45.), cacochymo (53.) exortus, inveteratus, maximè induratus, inſenſilis (22. 52. 72.), cui in vaſis ſecernentibus ac folliculo hæſerit *primariò* obſtructio (49.), qui ſymptomatibus pluribus, gravioribus, ſtipatus eſt (37. 38. 47. 48. 54. ad 57. &c.), nullo modo reſolvitur; quóque *plures* dictarum adſint conditiones, cum periculo eò *majore* ſuſcipitur *reſolutio*. Vid. numeros citat. 87.

LXXXVIII. *Pruritus* & *dolor* (54. ad 58.) *acrimoniam* conceptam produnt, reſolutionem tentandam prohibent, ne ſciz. cancri accedentis gradus *acceleretur* 69. ad 86. nec ſuppurationi intentandæ hìc in *occulto* (ſcrofuloſo excepto, *cui* non conveniunt conditiones 87.) adhuc annuit experientia.

LXXXIX. Ad ſcirrhum 86. reſolvendum apprimè conveniunt *Acetum* ac *Mercurius* diverſimodè, ad Medici intentionem, præparata, *internè externéque* adhibenda.

Huc proſpexit quandoque methodus quæ

℞ Emplaſtri Diachylon cum gumm. unciam unam;
Camphoræ in Oleo olivarum *recenti* ſolutæ, ſcrupulum unum;
Salis ammoniaci crudi, tenuiſſimè triti, drachmam dimidiam;
Salis ſuccini volatilis, triti, ſcrupulum unum:

fiat *ſ. a.* emplaſtrum, ad alutam extendendum, quo integatur tumor *totus*. Fiat *quamprimùm* venæſectio; cuti deinde circa tumorem, ſæpiùs de die *(emplaſtro non amoto)* admoveatur Fotus qui

℞ Florum Hyoſcyami,
Meliloti,
Papaveris rhœados,
Sambuci, ana manipulum dimidium;

in aq. fluvialis lib. una & dimidia coquend. ad lib. unam: colaturæ admiſceatur

Saponis Veneti, in aq. tepid. ſoluti, uncia dimidia.

Victus ſit levis: ægroque propinentur decocta *aperientia*. Siquà his ceſſerit ſcirrhus, mole jam duritieque imminutis, aſſumat æger quotidie pilular. æthiopicar. Edinenſ. gr. duodecim, plus minus, *generalibus non omiſſis*; atque emplaſtro addatur *ſ. a.* hydrargyri drachma una & dimidia, poſtea ad drachmas duas augendi.

XC. Mercurius nullâ virtute ad ſcirrhum reſolvendum ſpecificâ pollet; neque alia, quàm quæ à pondere, ſubtilitate, & admiſtione cum humoribus animalis vivi pendeant, effecta medica edere hactenus videtur.

Quum nobiliſſimus *D. Boerhaave*, Medicinæ *rationalis* cultor celeberrimus, de ſcirrho *ſolvendo* agens, *mercurio* palmam meritò tradiderit; ſiquis, viri egregii methodum *aetiologicam non aſſecutus*, mercurio adhibito confiſus, ſpe decideriit; meminiſſe oportet mercurium, ubi moles obſtruens tenax, impenetrabilis, vaſorum lateribus arctè accreta, vaſave tenera fuerint, *parùm* proficuum eſſe; quin *potiùs* vaſcula tenella, ſuo *pondere*, rumpere, & quouſque pervenerit deſtruere: conf. 49. 72. &c. Summa ergo hìc adhibenda cautela, ne vel Medici ſuadentis *prudentia*, vel medicamenti, reverà optimi, *virtus* in ſuſpicionem *immeritò* vocetur.

XCI. Scirrhus qui reſolventibus non cedit, ‘ ſi locus, ſitus, ‘ vicina,

‘ vicina, mobilitas, conditio mali, robur & valetudo ægri per-
‘ mittunt, *ocyùs ferro integrè* eximendus eſt.’ *Boerh.* Exſtir-
pationem ſuadet ‘ *æternus cancri metus:*’ vid. 70. ad 91.

XCII. Scirrhi exſtirpati ſiqua pars *reſidua* manet, ulceris *cancroſi* exordium à reſiduo vereri juſſit Medicorum *experientia*, tam recentium quàm antiquorum.

XCIII. Atqui, ſcirrhi exſtirpationem 91. *dehortantur*, 1. ſcirrhi *plures* in eodem corpore exiſtentes, & mali cauſa *interna*, in ſcirrhos alibi corporis generandos prona (53.): 2. ſcirrhus ſi vaſi alicui *magno*, tendini, ſive oſſi, *accretus* aut *incumbens* exiſtat, haud tangendus; ne ſciz. in ſcirrho exſtirpando fiat, à vaſe *diſciſſo* aut *læſo*, hæmorrhagia *haud compeſcenda*, vel *aneuriſma*; ſive, a tendine vulnerato, *convulſio*, exfoliatio, &c. ſequantur; neve in oſſe denudato caries *immedicabilis*, præcipuè ſi labe ſcirrhosâ aut *cancrosâ* jam afficiatur ſanguis: 3. ægri *debilitas*; ne *mortem* ſubitam inducat operatio chirurgica: 4. cacochymia, (quæ caſum quoque 1. comprehendit) *ſcorbutica* præprimis & *atrabilaria*, quæ ulcus in *cancrum* citò verteret: 5. ſitus qualis manui ac inſtrumento *acceſſum* deneget: denique, 6. ſcirrhi *vetuſtas*; vid. 72.

Quiſnam ſit *limes* ille definiendus, quem, decurſu ſolito, tranſgrediens ſcirrhus, *Cancri* nomen *exinde* ſuſcipere *teneatur*, *diſputatum* eſt:

XCIV. Scirrhum tamen malignum 87. 88. & cancrum incipientem, occultum 72. ad 76. eadem indicare, nemo Medicorum (quantum ego novi) *dubitavit*; ſcirrhi ſciz. *exſtirpationem* (91. 92.), vel (ſi id *minùs* conveniat 93.) mali *lenimen*.

Cancrum ergo parvum, incipientem, ſolum in toto corpore, à cauſa externa in corpore juvenili aliàs ſano nuper exortum, vicinis nondum accretum, loco idoneo ſitum, ferro integrè tollere præſtat. Vid. 72. 92.

Igne

Igne conſumendo, quandoque curantur cancri parvuli cutanei.

Ante omnia, corrigenda eſt *temperies peccans* 53. 93.

XCV. Exſtirpationi *contraindicant* conditiones 93. cancri chelæ *latè* porrectæ, quæ cancrum radices (ut loqui volunt) *altè* egiſſe, nec exſtirpari *poſſe*, docent: huc referre liceat nobiliſſimi *Hippocratis* aphoriſmum § 6. num. 38. Οκόσοισι κρυπτοὶ καρκίνοι γίνονται, &c. *Quibus occulti adſunt cancri, non curare, melius: curati enim citiùs intereunt; non curati verò vitam longiùs tradunt.*

XCVI. Cancro *occulto* tegmen molliſſimum ac *defenſionem* præbet corium de *chamois:* dolorem, attritum minuendo, *ſopiunt* emplaſtrum diapompholygos; præparata ex aqua papaveris rhœados, ſaturnalibus, opio & ſimilibus; adhibitis ſimul decoctis blandis aperientibus.

XCVII. Scrofula (81.) occulta benigna, vel reſolvendo (89.), vel ſuppurando, aperiendo, & detergendo, arte chirurgicâ curatur; vel ſub conditionibus 91. exſtirpanda: conf. 92. ad 97. Remedia autem adhibenda ad morbi ingenium ſingulare adaptata.

XCVIII. Scrofulæ & occultæ & exulceratæ curandæ, quandoque, *ſi ritè obſervatum eſt*, proſpexerunt ſequentia. Tumorem ſcrofuloſum integat emplaſtrum 89:

℞ Saponis Veneti, uncias duas;

Salis polychreſti, in aqua ſoluti, drachmas duas:

fiat *ſ. a.* maſſa; cui, in aëre exſiccatæ, adde

Balſami Capyvi q. ſ. ut dividatur in pilulas mediocres, quarum numero ſex, manè & veſperi, deglutiat æger, ſuperbibendo, ſingulâ vice, decocti ſequentis uncias duas:

℞ Herbæ Tuſſilaginis *recentis*, ſ. a. inciſæ, q. v. coquatur, leni ſuper igne, in aquæ fluvialis q. ſ. uſquedum herba inſipida evaſerit; quâ expreſsâ, immittatur herbæ ejuſdem recentis q. v. & ſic deinceps, donec decocti *craſſioris* conſiſtentiam acqui-

acquiſiverit: quale decoctum *Fullerus* laudibus effert in *Medicina gymnaſtica*. Sub coctionis finem, addatur, decocti libris duabus, Radic. Raphani ruſtic. inciſi, uncia una & dimidia: colatura ſaccharo rubro *muſcovada* edulcoretur. Pilularum doſes, ad vicem quartam & ultrà de die, ſenſim augeantur; decocti verò adeò, ut ſenſim potûs communis vicem gerat. Si his cedere incipiat, adhibeantur pilulæ mercuriales pharmacopœiæ Edinburgenæ: ulcus tractetur ut 65.

Quum inuſtio & rodentia cancro, niſi minimo (94.), minùs conveniant; hactenus *deſiderari* videntur medicamina, quibus cancro vetuſto, magno, exulcerato, *medeatur*. Morbi *glandularis* ideam, pro viribus atque otio, perſpicuam exhibere conatus ſum: laudem equidem, à *nobiliſſimis* ſtudiorum juventutis ducibus *eximiè laudatis*, vel exilem, *meruiſſe*, laus *non exigua* foret: ſiquidem methodum, quæ veritati aſſequendæ potiſſima videtur, *minùs* callens, *brevis* eſſe laborans, *obſcurus fio*; hoc ſaltem ſolaminis concedant *eruditi*, quòd, vero *utili* detegendo incumbens, *ex fumo dare lucem* cogitavi; nec *nugis* addere *pondus* ſtudui: attamen,

Non ſemper feriet quodcunque minabitur arcus.

Quare pus *blandum* in cancro *haud* formetur, patet (ſi rem ritè intelligo) ex dictis 9. 11. 39. ad 47. 62. ad 80.

Quæſita hìc pauca, *dubitanti*, proponere fas ſit.

1. An materia cancroſa indolem ſequatur ſibi *peculiarem*, quæ *aliunde* quàm ex præcedentibus pendeat? *qualis* ſit? quænam *antidotus?* an verò Antiquorum *bilis atra?*

2. Nunquid *aliud* cancro medicando obſtet, præter partis *vivæ* à mortuis *ſeparandæ*, *puriſque* præparandi, *difficultatem?*

3. Anne detur methodus, quâ requiſitorum in 2do conditionibus *ſatisfiat?* quâque maſſa carnoſa, calloſa, *tenax*, abſque vicinis *irritatis*, ſolvi poſſit? Reſponſa emolienti fave-

at generis humani *custos* atque *parens*: assecutus *monumentum* exegerit *ære* perennius. Unicum demum de glandula morbida addere liceat.

XCIX. Unguenti sequentis virtutem, ad *pus* in cancro præparandum prospicientem, *plures* expertos fuisse, tradit nobilissimus Medicus *experientiâ* ditissimus.

℞ Sevi ovilli & picis liquidæ partes æquales:
Fiat miscendo *s. a.* unguentum.

Tibi, Patrone benigne, disquirendi *Methodus* saltem placuerit, qui ambitiosa *recidere* calles *Ornamenta*; sed neque hìc *parturierunt montes*: pluribus forsan gratius fuisset si licentiùs disseruissem; sic autem in summo dixissem

——————*Vitavi denique* culpam,
Laudem *non merui*.